In S. Antonini Archiepiscopi Florentini O. Pr.
sententias

De Valore et de pecunia

Commentarius.

Particula prima.

Dissertatio inauguralis

Quam scripsit
et
Reverendissimi Theologorum Catholicorum Ordinis
in
Alma Literarum Universitate Viadrina
Consensu et Auctoritate
pro gradu Doctoris SS. Theologiae
rite capessendo
die IV. m. Junii A. MCMII Hora XI
in Aula Leopoldina
Publice Defendet

Carolus Ilgner
Parochus Leobergensis.

Adversariorum Patres Suscipient:
Dr. theol. Albertus Schoenfelder, parochus in Rentschen
et
Dr. theol. Carolus Wawra, Convictorii Theolog. Catholić. Vratislav. praefectus.

Vratislaviae.
Typis Ephemeridis „Schlesische Volkszeitung".
MCMII.

Dissertatio auctore Ernesto Commer
theologiae Professore P. O. approbata.

Mariae, natae Reimann,

Matri meae dilectissimae

hoc opusculum pietatis signum sacrum esse voluit

Auctor.

Conspectus.

Prooemium.

Pars I.

Antonini sententiae de valore exponuntur.

Cap. I.

Cap. II.

De valore rerum, quae sunt in usum hominis, venalium.

Cap. III.

De pretio rerum venalium.

Pars II.

Antonini sententiae de pecunia exponuntur.

Prooemium.

I. De vita et scriptis S. Antonini.

Antoninus, nobilissimis parentibus anno 1389 natus, in ordinem Praedicatorum a. 1401 receptus, Prioris munere compluribus locis functus et ad gradum Vicarii Generalis Provinciae Tusciae-Neapolitanae evectus, Eugenio IV. jubente munus Archiepiscopi Florentini suscepit (1446), quo munere per tredecim annos fungebatur. Tam profunda erat scientia Scripturarum, tam sublimi doctrina, ut proceres saeculares et ecclesiastici maxima eum colerent veneratione. Imo Nicolaus Papa V., qui eum „Vivum Sanctum" nominare solebat, appellationes a sententia Archiepiscopi interpositas in Romana Curia admitti vetuit.

Festo SS. Apostolorum Philippi et Jacobi (a. 1459) Antoninus migravit ad Dominum.

Ex libris ipsius laude dignissima est imprimis „Summa theologica", cui Antoninus paulo ante mortem extremam manum imposuit. Haec „Summa" Antonini multoties typis est impressa; quae editiones planius enumerantur in optima Editione Veronensi a. 1740.

Praeterea commemorandae sunt „Summula de confessione" („Confessionale"), divisa in tres partes (I de potestate confessoris cum additionibus de excommunicationibus, II de modo interrogandi, III de restitutionibus), — et „Summa historialis" (Chronicon).

De aliis eiusdem libris cfr. Quétif-Echard, Scriptores Ord. Praedicatorum, Lutet. Paris. 1719. I 817, 859, II 823. — Praefatio ad Editionem Veronensem Summae (ed. Petrus Ballerini 1740).

De vita Antonini et ejus scriptis cf. etiam Acta Sanctorum Maji, I 311, VII 553—556 ed. Godefred. Henschenius et Daniel Papebrochius, Antwerpae 1680.

II. Opera S. Antonini, quibus utimur.

a) Summa theologica. S. Antonini Summa theologica, praeced tabula Joann. Molitoris, IV partes, Nurembergae per Antonium Koberger. 1476—1481.

S. Antonini archiep. Florentini, Ord. Praed., Summa Moralis, cura Thomae Mariae Mammachi et Dionysii Remedelli, Florent. 1741.

S. Antonini Summa Major, opera et expensis Joa. Kleyn, Lugduni 1506/16.

S. Antonini Summa theologica, ed. per Petr. Ballerini Presbyt. Veronens., Veronae 1741, IV tomi.

b) Summula Confessionis. S. Antonini Summula Confessionis cum tractatu de restitutionibus et cum decisionibus quarundam quaestionum, absque anno, loco, nomine. (Toleti 1504).

Pars I.

Antonini sententiae de valore exponuntur.

Caput I.

§ 1. De „divitiis exterioribus[1]" („bonis temporalibus") quae vocantur oeconomicae, imprimis de fine earum, quid Antoninus[2]) senserit.

„Bonum est aliquid in quantum appetibile" (Summa th. p. I tit. 13 c. 2 § 9). Omnia bona distinguuntur ab Antonino in „bona virtutis, politiae, naturae, gratiae et gloriae."

Terminantur autem bona per finem specialem, cui inserviunt. „Appalletur aliquid bonum (excepto Deo, Bono summo) — „propter aliud sc. ut quoddam medium, per quod in aliud „bonum tenditur et tale vocatur bonum utile." (l. c.)

„Sic etiam appetuntur isto modo divitiae sc. medium, „per quod quis possit habere victum, vestitum, honorem, „gloriam et delectationes." (l. c.)

Divitias (exteriores) igitur nuncapat illa bona utilia, per quae quis habere possit victum, vestitum etc.

De divitiarum fine, imprimis de fine, quem Dominus divitiis exterioribus, quae veniunt in usum hominis, tribuerit, disserit etiam alio loco (Summa th. p. I tit. 7 c. 3 § 1): „Divitias „quidem naturales" inquit „ut possessiones, animalia, „victualia et hujusmodi — ac etiam divitias artificiales, ut „pecuniae argenteae, aureae vestes et hujusmodo Dominus „tribuit, ut mediante earum fideli dispensatione quis „sibi mereatur vitam aeternam."

2

Cum autem homo constet ex corpore et anima, quae est pars nobilior ac praestantior hominis, usu vel dispensatione rerum temporalium homo animae salute vel „vita aeterna“ privari non debet („mereatur sibi vitam aeternam“), imo bona temporalia ordini morali prorsus sunt subiicienda.

Ut accuratius Antonini sensum explicemus — notandum est, quod ab ipso bonis exterioribus (rebus temporalibus), quae in usum hominis veniunt[3]) tribuitur:

I. a) finis[4]) objectivus et quidem rèmotus[5]) (finis superior): „ut homo fideli dispensatione bonorum „mereatur sibi vitam aeternam“ i. e. ut bonis ita utatur et ea dispenset, ut, fideliter Dei voluntate servata, bonis temporalibus juvetür ad impetrandam salutem aeternam.

Eodem spectant quae leguntur l. c. p. II tit. 1 c. 12 § 1: „Ut finem divitiarum ordinavit Deus, ut re cognascat homo „Ipsam ut benefectorem et diligat et pro nomine Ejus indi„gentibus largiatur.“

Tali modo Antoninus bona temporalia (divitias exteriores) bene inserit in ordinem quendam moralem, eis praeterea tribuens finem (vel effectum) objectivum et remotum, ut propter bona temporalia homini auctoritas et magni aestimatio apud homines comparetur et cor ipsum laetificetur, quia ex intentione divinae liberalitatis haec bona a Deo non modo parce et anguste sed abundanter ac large ad ornandam et locupletandam terram procreata sunt.

b) Bonorum temporalium (divitiarum exteriorum) finem objectivum proximum Antoninus dicit esse eorum usum ad sustentationem vitae[6]) i. e. ad „sumptus et expensas, quas „quis faciat pro se et pro familia.“ Quibus sumptibus (pro se et pro familia) provideatur oportet prae omni liberalitate[7]).

Qui finis objectivus a Deo rebus datus („finis, cujus gratia“) ab hominibus intenditur:

II. Ut finis formalis: ad comparandam possessionem, usum,[8]) consumptionem („ut quis possit habere victum, vestitum, honorem, gloriam, delectationes.“ p. I tit. 13 c. 2 § 9.)

Finis formalis rerum temporalium est ergo possessio vel „usus“ et „dispensatio“ „ad debitum usum“.

Cf. p. II. tit. 6 c. 8 § 1. Summae, ubi expresse dicitur, oportere „ex usu temporalium (bonorum) sequi utilitatem seu fructum rationalem“. Bonae autem dispensationis meritum

est, „providere non solum ad usus proprios, sed etiam „communes, puta in faciendo hospitalia[9]) (cf. p. I. tit. 7 „c. 3 § 1) ut mediante earum (divitiarum) fideli dispensatione „quis sibi mereatur vitam aeternam".

Hunc finem (formalem) bonorum temporalium ex consilio Divinae Providentiae et diversitate laboris vel ingenii vel agilitatis singulorum hominum non omnes pari modo consequuntur, qua de causa semper erit quaedam naturalis inaequalitas possessionum. Quoad hunc finem impetrandum (qui est usus, consumptio) i. e. ad debitum ac rationalem usum rerum hominibus opus est quibusdam virtutibus, quae etiam quoad scientiam, quam vocant oeconomicam, maximi sunt momenti. (cf. p. IV. tit. 5. c. 17 § 1.) „Uti „enim „bene pecunia seu divitiis pertinet ad diversas vir- „tutes" (iustitiam commutativam, magnificentiam, amicitiam, caritatem etc.)

Deinde dicit Antoninus: esse hominis, non modo ad tempus „bene uti pecunia" seu divitiis, sed eas sibi „conservare" ad „debitum usum", ut perpetuo vel quam diutissime finis illius (formalis) divitiarum particeps maneat (quod est parsimoniae, studii ac prudentiae etc.)

III. Quis autem est, cujus indigentiae secundum voluntatem Creatoris omnium rerum per bona temporalia inserviatur, nisi homo ipse?

Homo igitur est „finis, cui" [10]) bonorum temperalium, quia ei bona temporalia usui esse vel inservire debent (bona utilia). Ideo bona temporalia non sunt per se expetenda vel producenda tanquam finis ultimus ita, ut liceat in eis producendis vel commutandis sanitati vel sustentationi congruae operariorum obesse.

Homo[11]) ergo ut „finis, cui," et Deus ut „finis ultimus" secundum Antoninum bonis temporalibus omnino non sunt postponendi. Neque enim homo propter res corporales est in mundo, sed res corporales sunt et producuntur propter hominem.[12])

Ex fine autem (vel usu) bonorum temporalium sequitur, eorum abusum consistere in utendo rebus ad fines indebitos vel ad peccatum (cf. p. II tit. 6 c. 8 § 1.)

Iam vero ad damnum temporale ex isto abusu proveniens quod attinet, Antoninus: „Si quis", inquit (I. 7. 3. § 1),

„abutatur divitiis vel eorum largitorem offendat per peccatum, „frequenter eas omittit, unde ad magnam miseriam et vexa- „tionem deveniat.“

At quoniam a bonis oeconomicis[13]) differunt operae atque industria humana[14]), (operae personales), notio bonorum (divitiarum) temporalium (exteriorum) restringenda est ad divitias, quae ex sua bonitate vel utilitate ad finem praefatum (imprimis ad „sustentationem vitae“, „usum“, „consumptionem“) — „ad usus humanae vitae merito ordinatae“ „venales“, valoris cujusdam usualis ab hominibus pensantur et ideo procurantur, acquiruntur, dispensantur.

Hoc modo utilitas rerum ad illos fines est bonitas et causa aestimabilitatis bonorum temporalium.

Qua in utilitate rerum continetur ratio valoris bonorum oeconomicorum. Etiamsi demum infra cap. I dicendum erit de valore, iuvat heic innuere, bonitatem vel utilitatem bonis temporalibus (oeconomicis) inesse quamvis a nemine cognoscatur vel apprehendatur;[15]) hanc „apprehensionem“ utilitatis in rebus esse „condicionem ad finalizandum“ i. e. „condicionem „actionis appetitivae vel aestimativae“ i. e. aliis verbis: Si bonitas rei intellectu vel sensu non apprehenditur, res non appetitur.

De divisione quoque bonorum temporalium nonnulla apud Antoninum inveniuntur. Dividuntur primum quidem in pretiosiora et viliora, in quantum majorem vel minorem in se habent bonitatem vel utilitatem ad naturales illos fines suos oeconomicos (Summa, p. II tit. 1 c. 16 § 3: „Quanto aliqua sunt usibus naturalibus utiliora, tanto plus „valent“.)

Alio loco (I. 7. 3. § 1) distinguit inter bona naturalia (ex. gr. possessiones, animalia, victualia) et artificialia („ut pecuniae argenteae, aureae, vestes et hujusmodi“).

Porro discernuntur in bona mobilia et immobilia. Mobilia in alia bona commutando „reinvestiri“ possunt, ex. gr. si merces negotiatoris intercedente pecunia in alias res permutantur (cf. S. p. III tit. 8 c. 4 § 2: „Et ut dicunt libentius „venderent tales pannos tali pretio 45 et 46 ad contantos, „si omnes et majorem partem sic possent vendere quam „per 50 ad terminum, quod pecuniam tunc habitam cito „reinvestirent pluries in anno pannos faciendo etc“).

Denique discrimen exstat inter bona, „quae usu consumuntur“ et „non consumuntur“.

---

[1]) Quae germanice in scientia oeconomica audiunt: „ökonomische Sachgüter“ (cf. Costa-Rossetti: Allgemeine Grundlagen der Nationalökonomie, Freiburg 1888 — 9tes Hauptstück) ab Antonino plerumque nuncupantur „bona temporalia sive res venales, res usuales, exteriora bona (Summ. I. 7. 3. § 1; II. 1. 8; IV. 5. 17 etc.)

cf. Thomas Aquin., Summa theol. 2. 2. qu. 118, ubi bona temporalia vocantur „exteriores divitiae“.

Idem, in sententias Petri Lombardi (Antwerp. 1612) I. dist. 1 qu. 3: „Res mundi secundum quod praebent subsidium vitae nostrae ordinatae in Deum“.

Javellus, Joann. Chrys.: Philosophia christiana, Lugd. 1568 tom. II tract. 3 in libr. I Politic. p. 163: „Divitiae humanae sunt duplices: „quaedam sunt aggregatae ex pecuniis et thesauris, quaedam ex rebus „necessarriis et sufficientibus indigentiae humanae“.

[2]) Quatenus agitur de rebus oeconomicis, in Antonini Summa th. sermo fit de fine bonorum temporalium, de productione bonorum, quae usui veniant, de elementis producendi, et quomodi illa se habeant ad invicem in producendo.

Magni aestimat laborem et operam ad usum quendam oeconomicum pertinentem. De „capitali“ ut adminiculo productionis loquens discernit copias et instrumenta (capitale mobile — capitale fixum).

Acri ingenio tractat de valore et pretio taxando.

Idem dicendum est de animadversionibus super pecunia credita vels mutuo, necnon dominio, de cura pauperum, de assecurationi bu (cautione periculi), ac de mercede operarum personalium (de operariorum condicione); ubi tam principi vel civitati officium iniungitur providendi sufficienti mercedi, quam fundamenta juris naturalis exponuntur, secundum quae mercedis sufficientia normetur.

Quoad consumptionem vel usum bonorum temporalium (oeconomicorum), de sumptibus in familia, de prudentia custodiendi pecuniam de dationibus magnificentiae, de prodigalitate et luxuria, de causa rationali, in sumptibus faciendis, — de sumptibus publicis (de vectigalibus, satis accurate disseritur. Huc accedit enarratio de telonio vel vectigali imponendo, de aere alieno publico et schedulis aes alienum publicum contestantibus.

[3]) Antonini Summa p. IV tit. 5 c. 17 § 1: Omnia exteriora bona ad usum sunt ordinata hominis.

[4]) De causis cf. Thomas Aquin. c. gent. II c. 21 n. 4. IV c. 41. Summa theol. III qu. 62 a. 1 ad 1, ad 2; l. c. I qu. 45 a. 5; l. c. III qu. 62 a. 6; imprimis de causa finali Guérinois, Clypeus Philosophiae, Venet. 1710, tom. III qu. 9. L. Babenstuber, Philosophia Thomistica, Aug. Vindel. 1700, lib. II Disput. VI.

[5]) Quod attinet ad terminos scholasticos, quos infra usurpamus) cf. Babenstuber l. c. Lib. II, Disput. II. III. IV.

[6]) „Uti rebus temporalibus nobis concessis ad usum et sustentationem“. Antonin. Summa p. IV tit. 5 c. 17 § 1.

[7]) „Non sic est intelligendum, quod sic aliis intendat, quod animo se et suos despiciat.“ l. c. c. 17 init.

[8]) „Bene uti et conservare“ ad „debitum usum“. l. c. § 1.

[9]) Cf. Costa-Rossetti, Allgemeine Grundlagen der Nationalökonomie, Freiburg 1888, p. 17 n. 4 b β.

[10]) L. Babenstuber l. c. disp. VI. art. 1 n. 2.

[11]) Costa-Rossetti l. c. p. 8 n. 3: „Der Mensch ist Mittelpunkt und Zweck der gesamten Oekonomie“.

[12]) Antoninum amorem ac studium quoddam rerum exteriorum haud abominari patet ex loco, quo creaturas dividens in rationales et irrationales dicit (p. I. tit. 6 c. 1): „Debemus Dominum imitari, debemus „omnia amare (i. e. etiam creaturas irrationales), aliter tamen creaturas „rationales, aliter irrationales. Cf. p. I. tit. 7 c. 3 § 1: „Bona temporalia, „ut dicit philosophus, organice deserviunt felicitati i. e. instrumentaliter, „quia sunt tamquam media ad perficiendum aliqua opera virtuosa.“

[13]) Dixerit quispiam: „bonis temporalibus“ vel „divitiis exterioribus“ etiam aerem, aquam esse adnumeranda. Recte quidem, in quantum haec bona (lux, aer, aqua) indeterminate omnibus hominibus praesto et ad vivendum necessaria sunt. Secundum Antoninum autem illa tantum „bona temporalia“ vel „divitiae exteriores“ intelligenda sunt, quae „fidelem dispensationem“ admittant et ab aliquo possideri et cujusdam valoris vel pretii esse possunt. Propterea semper de illis bonis loquitur ut venalibus vel quorum valor pensatur ex eorum raritate. (Summa p. II tit. 1 c. 16. § 3: „Pensatur rei valor ex ejus raritate“. — „Sic quattuor „elementa: ignis, aer, aqua, terra vilioris pretii apud omnes aestimantur „propter eorum copiam“. — „Primum valor naturalis est secundum „bonitatem naturae, secundus valor dicitur usualis“. — „Rerum, quae „sunt ad usum humanae vitae venalium valor sumendus est „secundo modo.“ — „Considerandum circa valorem rei, et ipse valor secundo „modo acceptus i. e. secundum quae sunt ad usum nostrum in re venali“...

[14]) A bonis oeconomicis proprio sensu (divitiis exterioribus) Antoninus omnino discernit operas personales vel industriam humanam cum persona operantis indissolubiliter connexas. Etsi ergo ad comparandas vel praeparandas divitias operae personales maximi momenti sunt, ad notionem tamen „bonorum temporalium“ seu „divitiarum exteriorum“ haud pertinent.

[15]) Cf. Guérinois l. c. tom. III qu. 9 a. 2 ad 3: „Sola finis bonitas „realiter possibilis atque futura vel saltem talis existimata, ab intellectu „vel a sensu apprehensa et voluntati vel sensitivo appetitui proposita „est ratio formalis sub qua finalizandi.“ — „Bonitas est ratio „formalis, sub qua res appetitur“.

Caput. II.

De valore[1]) rerum, „quae sunt in usum hominis venalium", quid Antoninus[2]) senserit.

§ 2. De negociatione.

Ut pateat, quibus condicionibus res temporales (oeconomicae) adipiscantur certum valorem currentem, ratio est habenda Antonini dictorum de negociatione vel mercatura.

Secundum Thomam Aquinatem (S. th. 2. 2. 78. a. 1) ab Antonino (II. 1. 16. § 3) laudatum „emptio et venditio introducta videntur pro communi utililate, dum unus indiget „re alterius, et e converso". Haec communis utilitas ad reprimendam aliquam inopiam, per quam „unus indiget re alterius", est causa commutationum vel permutationum vel negotiorum.

Alio loco (p. III tit. 8 c. 2 § 2): „Negociator" ait, „pro „communi utilitate laboribus et expensis et multiplicibus „periculis se exponit."

Qui finis objectivus („pro communi utilitate") negociationis non semper a mercatoribus subjective intenditur, sed unusquisque impellitur cupiditate lucrandi. Cfr. etiam. p. III tit. 8 c. 3 init.: „Negociator proprie dicitur, qui rem comparat, ut integram et immutatam vendendo lucretur".

Quae immumtatio per alios fieri potest ex. gr. per artifices. Accidit autem, ut negociator merces non solum integras comparet vel ante venditionem det ad immutandum, sed etiam, ut idem sit mercator et artifex.[3])

Jam vero quemadmodum Antoninus actum emendi et vendendi ad usus humanae vitae merito ordinari asserit (II. 1. 16. § 3), ita negotiationem licitam et honestam esse posse haud negat: „Etsi", inquit (III. 8. 1) „negociatio est exterior „operatio, inventa a cupiditate, et Aristoteles dicit, eam habere „in se turpitudinem, quae deservit cupiditati, cum fiat propter „lucrum, quae cupiditas in immensum crescit et finem „nescit, verum tamen est, quod, etsi in se turpis[4]) sit, potest „tamen aliquo bono fine honestari et licita fieri, puta propter „sustentationem familiae suae et subventionem pauperum ex „moderato et justo lucro."

Id evidentius fit ex effato (I. 3. 3) de „navigatione“ „(mercatura maritima) ad quam pertinet omnis industria „emendi et vendendi.“ — „Universa litora adit, pacem et „familiaritatem cum exteris nationibus componit et „privata bona communia facit.“[5])

Inde colligitur hos esse fructus negociationis:

a) primum quidem negociatione ex dominio singulorum facile multorum expletur inopia („dum unus re alterius „indiget et e converso“);

b) deinde labores minuuntur quatenus is, qui habet rei penuriam, eum, qui abundat, non in alienis locis cum labore quaerere cogitur, quia „negociator rem comparat“, „universa litora adit“;

c) porro navigatio privata bona communia facit. Ut enim res, quae paucis tantum locis inveniuntur (aes, medicamenta etc.,) etiam aliis locis communicantur, ita illis, qui abundant rebus, facile occasio datur res superfluas vendendi;

d) quarto per lucrum ex negociatione procedens homines alliciuntur atque impelluntur ad studium res producendi vel conficiendi, spe ducti easdem cum lucro venditum iri (quia negociatione res in diversa multorum emptorum loca transportantur). Sic igitur industria et agilitas artificum promovetur.

e) Per commutationem denique bonorum temporalium fit, ut nationes pacifice et familiariter inter se jungantur. Insuper notatu dignum censet Antoninus (III. 8. 4) „mercatores „unius civitatis frequenter esse mediatores mercatoribus „aliarum civitatum ad procurandam venditionem suorum „mercimoniorum, qui ad eos transmittunt commissiones, quas „ad eos faciunt per literas.“

---

[1]) Cujus interest cognoscere, quae apud celeberrimos scriptores ante et post Antoninum de valore et pretio bonorum temporalium (oeconomicorum) inveniantur sententiae, ab eo consulantur:

Aristotelis opera ed. Academ. Reg. Boruss. 4 voll. Berol. 1830 sq. (Eth. Nic. V, 8; Polit. I, 4.) — Aristoteles' Werke griechisch und deutsch von Susemihl, Leipzig 1879, tom. VI, pars 1. 2. (Politik).

Alexander Halesius, Summa, per Anton. Koberger Nuremb. 1482, p. III qu. 50, imprimis membr. 1. (utrum negociatio sit licita) et l. c. membr. 2 (perpauca de valore).

Albertus Magnus, in Ethica et Politica (Aristotelis) Lugd. 1651. In Eth. (de justitia commut.) lib. V tr. 2 c. 4, c. 5, c. 6, c. 7, c. 10 (de

numismate) c 11. In Polit. lib. I c. 7 (de pecuniativa) c. 10 (de mercatura). — Albert. Magnus, Summa theol. Lugd. 1660. Pars II tract. 18 qu. 120 membr. 1 a. 1 ad 2 (de nummo).

Thomas Aquinas, Summa theol. ed. Romae 1886. 2. 2. qu. 61 a. 2 ad 3 et a. 3 et a. 4 (de just. commut. — de numismate) — l. c. qu. 77 (de fraudulentia in emptione et venditione), a. 1 (utrum licite aliquis possit vendere rem plus quam valeat) et a. 2 et a. 2 ad 1 a. 4 (utrum liceat negotiando aliquid carius vendere quam emere); — de pecunia cf. l. c. 2. 2. qu. 78 a. 1, — a. 2.

Idem in Sentent. Petri Lomb. Antw. 1612. (De aequalitate communicationis) lib. III dist. 33 qu. 3 a. 4. — (De pecunia ut mensura utilitatis aliarum rerum) l. c. qu. 1 a. 6.

Idem, Commentar. in octo libr. Polit. Aristot. ed. per Cosm. Morell. Paris 1645. — (De commutatione, de usu denariorum,) p. 29.

Idem, Commentar. in Ethic. Aristotelis Paris. 1644, ap. Dionys. Moreau, lectio IX (de numismate).

Idem, de regimine princip. Lugd. Batav. 1630. (De pecunia) lib. II c. 7, 13. — (De mercatoribus) II. c. 3, 12 14 (hoc loco etiam de campsoria).

Idem, opuscula Paris. 1656. Opuscul. spurium de usura pars II c. 2 pag. 858 (de valoris auctione et diminutione); p. II c. 1 (de anticipatione in solvendo); p. II c. 3 al. 10 (de credentia pretii solvendi); — p. II c. 6 al. 13 (de campsoria) et additio ad cap. 6 part. II (campsoria non modo ad lucrum hominum sed ad necessitatem et utilitatem). — Ibidem de numismate (pars II, cap. 7).

Idem, Opera Omnia ed. p. Cosm. Morellem, Antw. 1612, voll. XXIII. — vol. XII: quaestiones disputatae (qu. 13 „de malo"; imprim. cf. qu. 13 a. 4 corp. (de usu pecuniae in commutationes).

Fr. Joann. Duns Scoti Ord. Minor. Quaestionum quattuor volum. script. Oxoniens. Super Sententias, Venet. 1580. Imprimis cf. IV. dist. 15 qu. 2 (de translatione rerum — de commutatione — de justa venditione — de commutatione negotiativa — de pecunia.).

Tractatus illustr.... Jurisconsultorum. Venet. 1584. Tom. VII, Laurentii de Ridolfis (1403), tractatus de usuris pag. 16 n. 14 et pag. 24 n. 9 (de valore) pag. 23 n. 8, 25 n. 9 p. 38 n. 1 (de cambio) — pag. 24 n. 7 (de negotiatione) — p. 38 n. 6, 8, 9, 10, pag. 39 n. 13, 15—16, 17, 18 21, 22, 23, pag. 40 n. 24 (de assecuratione) — pag. 39 n. 12 (de materia montis) — pag. 40 n. 26, 29, 31—35. — pag. 42—45, 47, 48. (de pecunia credita.)

Chrysost. Javellus Canapicius Ord. Praed., Philosophia oeconomica per Joann. Anton de Vulpinis Venet. 1540 tract. 6 c. 4 (de modis acquirendi) c. 5 (commutationis genera — de pecunia), c. 6 (de viis acquirendi pecuniam — de mercativa — de cambiativa — mercatorum munus laudatur.) — Tom. II. Lugd. 1568: In Aristotelis Ethica. Libr. V c. 4 (de pecunia). In Polit. Aristotelis: tract. 3 in libr. I. Politicor. c. 2 (de pecunia, campsoria).

Fr. Dominic. Soto, Segobiensis, Ord. Praed., de justitia et jure. Venet. 1584. Lib. III qu. 5 a. 4 (de pecunia), lib. V qu. 8 a. 4 (pretium

egitimum — pret. naturale — justum pretium). lib. VI. qu. 1 a. 2 (emptorum raritas attenuat pretium), lib. VI. qu. 1 a. 6 (de montib. pietatis), VI qu. 1 a. 2 (de negociatione — de pretio — de impensis). l. c. a. 3 (utrum rerum pretia arbitrio mercatorum sint taxanda) — l. c. conclus. 4 (pretia rerum taxanda quatenus in usus veniunt humanos etc.) Lib. VI. qu. 3 a. 1 (de injustitia in emptione), qu. 4 (de credito pretio — qu. 6 (de contractu societatis), qu. 8 (de cambio), qu. 9 (de cambio minuto), qu. 10 (de cambio), qu. 11 (de pretio solvendo numerata pecunia), qu. 12. 13 (de cambio).

Adam Contzen S. J. Politicor. libri X ad Ferdinand. II Mogunt. 1620, Lib. VIII, c. 10 (mercaturam augendam esse), c. 16 et 17 (de moneta) c. 18 (de montibus pietatis).

Wilhelm Roscher, Grundlagen der Nationalökonomie, Stuttgart 1894. § 100—129 (de pretio et pecunia),

Périn, Ueber den Reichtum in der christlichen Gesellschaft, 2 Bde., Regensburg 1866. Bd. 1 p. 422, 423, 425, 430, 432 (de valore), pp. 434, 440 (de pretio), 444 (de pecunia credita), 446 sequ. (de cambio), pp. 449, 461, 462, 465 sequ. 480—495, 501—509 (de mercatura).

Endemann, Studien in der romanisch-canonistischen Wirtschafts- und Rechtslehre, Berlin 1874. cf. p. 97, 102, 244 (de pecunia et de cambio).

Linsenmann, Lehrbuch der Moraltheologie, Freiburg 1878, pp. 539 557 (de pecunia), § 160 (de emptione et venditione), § 161 (de cambio), p. 567 (de montib. pietatis).

Ratzinger, Die Volkswirtschaftslehre in ihren sittlichen Grundlagen, 2. Auflage, Freiburg 1895. pp. 16, 17, 124.

Friedrich von Wieser, Der natürliche Wert. Wien 1889.

Fr. Albert Maria Weiss, O. Pr., Soziale Frage und soziale Ordnung. 2. Teil, Freiburg 1892. Vortr. 22 n. 4, 9—11 (de valore), n. 16—23, 26—29.

Jul. Costa-Rossetti, S. J., Allgemeine Grundlagen der Nationalökonomie, Freiburg 1888. c. 11—15.

W. Neurath, Elemente der Volkswirtschaftslehre, Leipzig 1896, 3. Aufl., p. 141—384.

2) Quid Antoninus de valore senserit, compluribus ac variis ex locis imprimis Summae theol. S. Antonini colligendum est. Qua in re tractanda Antoninus nititur auctoritate Aristotelis, atque imprimis S. Thomae Aquinatis (de quo in Prologo ad I. partem Summae: „quem omnibus", inquit, praepono in suis dictis"), D. Scoti et „complurium modernorum in theologia vel jure praestantissimorum", ut Raymundi de Pennaforte, Hostiensis (Henrici de Segusia), Petri de Anchorano, Laurentii de Ridolfis et aliorum (cfr. Prolog. Antonini ad I. partem Summae in edit. Petri Ballerini. Veron. 1740).

3) Antoninus loco citato commemorat aurifices et (p. III tit. 8 c. 3 § 4) alios, ex. gr. „mercatores victualium (etiam bladajolos et taber- „narios) caupones („ne vendant aquam pro vino"), macellarios, qui „sc. beccarii fraudibus utuntur (vendunt carnes pecudines pro castratis, „vel infectas pro sanis, — ne vadant in diebus festis ad diversos foros „ad emendum animalia sine auditione missae" etc.)

[4]) Antonini S. theol. p. II tit. 1 c. 16 § 2: „cujus finis est malus et „ipsum opus necessario est malum: Si ergo finis negotiandi sit principaliter cupiditas, quae est radix omnium malorum, negotiatio erit „iniqua." — „Haec igitur negotiatio (sc. quasi naturalis et necessaria — „propter necessitatem vitae) secundum Philosophum de se est laudabilis, quae habet finem honestum, sc. quae deservit necessitati vitae „humanae."

„Si (ergo) negotiatur lucrum, quod quaerit moderatum, ordinat ad „hunc finem sc. ad sustentationem sui et familiae secundum statum suum „decentiae aut etiam unde pauperibus subveniat, vel etiam cum negotiationem intendit propter publicam utilitatem, ne sc. res necessariae ad „vitam patriae desint, et lucrum inde expetit non quasi finem sed quasi „stipendium laboris servatis aliis debitis circumstantiis — sic non potest „condemnari."

Cf. Thomas Aqu., Comment. in VIII libr. Polit. Aristotelis Paris. 1645 lectio VII, ubi Aristotele praecedente distinguitur inter pecuniativam oeconomicam vel necossariam, quae laudatur et inter nummulariam, quae quaerit denarios propter se ipsos i. e. ex mera cupiditate — et propterea vituperabilis nuncupatur.

Idem, Summa theol. 2. 2. qu. 77 a. 4: „Duplex est rerum cummutatio „una quidem quasi naturalis et necessaria, per quam sc. fit rei ad rem „vel rerum et denariorum propter necessitatem vitae, et talis commutatio „non proprie pertinet ad negociatores sed magis ad oeconomicos vel „politicos, qui habent providere vel domui vel civitati de rebus necessariis „ad vitam; — alia vero commutationis species est: non propter res „necessarias vitae sed propter lucrum quaerendum. Prima autem „commutatio landabilis, secunda autem — deservit cupiditati lucri, „quae terminum nescit; — lucrum tamen, quod est negotiationis finis, „etsi in sui ratione non importet aliquid honestum vel necessarium, nihil tamen importat in sui ratione vitiosum vel virtuti contrarium, „unde nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium vel „etiam honestum, et sic negotiatio licita redditur."

[5]) Cfr. Soto l. c. IV. 7, 8; VI. 2, 3; Contzen VIII. 10, 4. Brischar, P. Adam Contzen S. J. ein Ireniker und National-Oekonom des 17. Jahrhunderts. Würzburg 1879. p. 137 sq.

§ 3. De valore generaliter tractatur.

Non dubium est, quin res commutando compellamur deliberare, quid valeant. In commutatione enim rerum uterque commutans sibi quaerit aliquid commodi, et emptor rem emendam considerat respectu bonorum, quae pro re emenda ex suis dare debeat.

Itaque Antoninus (p. III tit. 8 c. 2): „In omnibus" inquit, „actionibus (emptione venditione, locatione, conductione) est eadem ratio accipiendi medium secundum „aequalitatem recompensationis".

De modo res taxandi „secundum aequalitatem recompensationis“ i. e. de pensando valorem rerum loquens: „Secundum Thomam[1])“ ait (II. 1. 16 § 3) „emptio et ven- „ditio videntur introducta pro communi utilitate, dum unus „indiget re alterius et e converso (Aristot. I Polit. cap. 6). „Quod autem pro communi utilitate introductum est, non „debet magis esse unius quam alterius, et ideo debet inter „eos secundum aequalitatem contractus institui“. Haec mensura, per quam „quantitas rerum“ in commutatione ponderatur, est pretium (numismate expressum). Pretii vero taxatio fundatur in valore rerum. „Pensatur autem „rerum valor in respectu ad usum rerum et probabile „judicium humanae aestimationis mensurantis valorem „rei infra limites latitudinis competentis“. (l. c.) Hinc elucet

primo: valorem rei venali imponi inquantum propter utilitatem suam ad explendam indigentiam sit idonea (i. e. quia res habet principaliter valorem usualem),

et secundo: valorem rerum in commutatione pensari „in „respectu ad probabile judicium humanae aestima- „tionis“[2]) „intra limites latitudinis competentis“.

Tenendum insuper est primum: utilitatem et valorem non esse prorsus idem („in respectu ad usum“.) Nam sunt aliae etiam res quoad valorem haud flocci pendendae,

secundo: etiamsi aestimatio i. e. cognitio aptitudinis alicujus rei ad explendam quandam penuriam est magni momenti, — tamen solam aestimationem omnino non congruere cum valore, quia multae res pretiosissimae esse possunt, quae quibusdam de causis non venerunt in hominum cognitionem neque ideo ab eis aestimantur. Quis dubitet, quin rebus in illis utilitas et valor insit?

Utilitas ergo et aestimatio rerum ita sunt connectendae, — tertio constare videatur: valorem omnino non esse absolutum et plane fixum, — sed jactari vel fluctuare „intra limites latitudinis competentis“. —

„Et pro majore declaratione“, inquit Antoninus (l. c.) „hujus materiae tria videnda sunt:

„Primo, unde accipiendus sit valor rei.“ — —

— „Secundum Scotum[3]) in IV. dist. 15 duplex valor „rerum: primus est valor naturalis, secundus valor „usualis“.

„Valor naturalis est secundum bonitatem naturae in re „creata et hoc modo mus vel pulex vel formica plus valet „quam panis, quia illa habent vitam, animam seu usum, et „non panis vel etiam margarita“.

„Secundus valor dicitur usualis, — secundum quae „assumitur in respectu ad usum, et hoc modo, quanto aliqua „sunt usibus naturalibus utiliora, tanto plus valent, et secun- „dum hoc panis plus valet, quam mus. Quia igitur actus „emendi et vendendi ad usus humanae vitae merito ordinatur, „ideo rerum, quae sunt ad usum humanae vitae venalium „valor sumendus est secundo modo et non primo.“

---

1) Thomas Aqu., Summa theol. 2. 2. qu. 77 a. 1

2) De aestimatione mensurantis valorem rei cf. von Wieser, der natürliche Wert etc. §§ 7, 8, 9.

3) Joann. D. Scoti Quaestion. IV voll. super Sententias Petri Lombardi lib. III dist. 34 et lib. IV, dist. 15 qu. 2.

§ 4. Fundamenta quoad notionem valoris.

„Valor rerum“, pergit Antoninus (II. 1. 16, § 3) „secundo „modo acceptus, i. e. secundum quod sunt ad usum nostrum, „in re venali tripliciter pensatur: primo ex ejus „virtuositate, secundo ex ejus raritate, tertio ex ejus „complacibilitate.“

a) „Et virtuositas quidem rei attenditur, secundum quod „res ex suis realibus virtutibus et proprietatibus est nostris „utilitatibus virtuosior et efficacior et hoc modo bonus panis „triticeus plus valet ad usum nostrum, quam hordeaceus, et „fortis equus ad vecturam plus valet quam asinus.“

Quibus verbis Antoninus docet, valorem cujuscunque rei commercialem pendere ex ejus proprio valore usuali i. e. ex virtuositate vel aptitudine rei, per utiles suas qualitates majorem indigentiam plus vel minus explendi.

b) „Secundo pensatur rei venalis valor ex ejus varitate „i. e. secundum quod res ex suae inventionis raritate et diffi- „cultate magis necessariae sunt, pro quanto videlicet ex earum

„penuria majorem ipsarum indigentiam et minorem „facultatem habendi et utendi habemus.“ („Unde Hiero- „nymus dist. 93: Omne rarum carum“.[1]) „Et secundum hoc „bladum plus valet tempore famis et caristiae quam tempore, „quo multum abundat apud omnes.“

Antoninus ergo res non raras a valore usuali (commerciali) pro consueto excludit: „Sic quattuor“, inquit, „elementa: „ignis, aer, aqua, terra vilioris pretii apud omnes aestimantur „propter eorum copiam, quam balsamum et aurum, quam- „vis illa de se sint magis necessariae quam utilia vitae nostrae.“

Igitur „inventionis raritas“, est naturalis raritas ex. gr. metalli vel margaritae.

Quanto autem magis res sunt necessariae vel quanto utiliores vitae hominis, tanto magis crescit earum valor „ex raritate“. Et ubi rei cujusdam necessariae vel utilis homines „plus vel minus“ indigent, quam ob rem acerrime forte ab omnibus appetitur, — cum rei penuria vel raritate („major indigentia“) connectitur „minor facultas habendi“,[2]) (germanice: „Angebot und Nachfrage“).

Porro raritas rei vel boni cujusdam aliis temporibus alia esse potest: ex. gr. frumentum tempore hiemali vel tempore famis rarius et carius, quam tempore messis. Hoc Antoninus exprimere videtur illis verbis: „Bladum tempore „famis et caristiae plus, quam tempore, quo multum abundat „apud omnes.“

Neque etiam negligit Antoninus, res non solum propterea raras esse posse, quod raro in natura inveniantur, sed etiam quia haud sine magnis laboribus et expensis parari vel advehi possint, id quod vulgo vocant impensas in rebus producendis, asportandis et reponendis vel asservandis.

c) „Tertio pensatur, in re venali ejus complacibilitas[3]) „i. e. secundum quod magis vel minus bene placet voluntati „nostrae, habere talem rem et uti ea. Uti nomen, prout hic „sumitur, est: rem in facultatem voluntatis assumere et ideo „non modica pars valoris venalium rerum ex beneplacito „voluntatis pensatur sive plus sive minus conplacentiae in „usum hujus sei vel illius, secundum quod unus equus „gratior uni et alter alteri, et unum ornamentum uni et aliud „alteri et hoc modo unus rem alteri viliorem multum appre- „tiatur et sibi reputat pretiosam et caram, et e converso.“

Attendere iuvat, valorem usualem rerum venalium duobus modis accipi posse; primum ac plerumque est valor commercialis (germanice „Verkehrswert"), qui procedit ex utilitate rei, in quantum res quaedam propter utilitatem suam apta sit, quae in commercio et commutatione a diversis personis aestimetur propter eam utilitatem, quae unicuique forte ementi vel utenti ex re contingat, quod tantummodo fieri potest in rebus venalibus; — secundo esse potest quaedam complacentia in re emenda vel quaedam concreta ac principalis in re emenda ementi contingens utilitas, propter quam pluris ab eo aestimatur quam ab aliis. Res enim pro condicione et statu hominis habere possunt concretam ac individualem aestimabilitatem vel valorem; quod exprimitur ab Antonino per vocem „complacibilitatis", cujus magnam vim ac potentiam, in commutatione rerum, breviter explanaturus sum:

Potest aliquis, ut exemplis ab Antonino allatis utamur, certum quendam equum libentius et cum majore complacibilitate emere, quam alius alium equum, ex. gr. miles quidam centurio, cui ex consuetudine sua magis placet equus albus quam niger. Eques porro magnae staturae ideo cum „complacibilitate" quadam equum altae staturae pluris aestimabit atque eliget, quam parvum equum nobilis generis. — „Ornamentum" autem quoddam, ex. gr. petasus capiti parvo adaptatus homini magni capitis vel faciei potest esse parvae „complacibilitatis", quia ejus faciem deformet. — Illud ergo individuale atque complacens in re, personae possidentis (vel ementis) consuetudini et statui adaptatum et conveniens, est maximi in emendo vel vendendo momenti. Porro res importata in forum ex hoc momento temporis ac pro foro habet modo valorem quendam commercialem communem vel objectivum. Inquantum autem in foro inveniuntur emptores, quorum concreta atque individualis condicio proportionata est isti rei venali, haec ipsa assequitur concretam complacibilitatem, quae tantum praevalet, ut emptio fiat cum gaudio ac voluntate emptoris et venditoris. (Cfr. infra p. 36, 37).

Sicut ergo secundum justitiam commutativam ex utraque parte commutantium aequalitas esse debet, — ita in illa rei cuidam inhaerente complacibilitate cum concretis ementis condicioni adaptatis proprietatibus exstat quaedam alliciens commutandi vel emendi causa. —

— Justum autem est veras laudes rei venalis in actis diurnis et longe lateque in foro proclamare, ut „complacibilitas“ rerum cognoscatur. Denique, si res venales quaedam, ut petasi, panni etc. concretae condicioni, statui ac moribus complurium personarum convenientes esse debent, ita, ut in taberna mercium etiam multi emptores, suo quisque judicio atque complacentia eligens, res sibi idoneas inveniant, — praesto esse vel asservari magnam selectionem mercium oportet; alioquin negociatori emptores deerunt. Cum enim alii hoc, alii illud magis complaceat, expedit, ut pro vario studio ac complacentia ementium detur facultas ex compluribus mercibus asservatis eligendi quod placeat.

---

[1]) In Decreti Gratianei prima parte can. Legimus in Esaia. 24. D. 93. verba sic sonant: 'Omne quod rarum est plus appetitur'.

[2]) Cf. von Wieser, l. c. § 9.

[3]) Idem, l. c. § 13 („Tauschwert im subjektiven Sinne“).

§ 5. Notio valoris relativa.

„Considerandum“, pergit Antoninus l. c., „circa valorem „rerum est, quod valor vix aut numquam potest a nobis „determinari nisi per conjecturalem et probabilem opini„onem, et hoc non punctualiter sub indivisibili ratione aut „mensura in plus et minus, sed sub aliqua latitudine[1]) com„petenti, respectu temporum, locorum et personarum, „circa quam diversi homines in aestimatione differre pro„bantur“.

Primum quidem quoad tempora eorumque diversitatem modo res (respectu earum „virtuositatis“) purius vel perfectius vel aestimabilius, modo vilius, abjectius et (ratione habita rerum raritate) nunc facilius, deinde difficilius producuntur vel apportantur, ex gr. cinnamonium vel alia aromata novissimis temporibus parvi sunt pretii, quae prius magno pretio emebantur, quia nostris temporibus facilius et celerius ex remotissimis regionibus conferri possunt, quapropter minus rara sunt minus cara. Deinde, quia cum temporibus[2]) mores mutari solent, studiis ac desideriis hominum mutatis etiam „complacibilitas“ rerum in decursu temporum variatur. Saeculi igitur mos et consuetudo efficere

possunt, ut res, quae prius avidissime appetitae et magni pretii fuerint, postea nullius fere fiant valoris.

Porro respectu locorum multae res (quoad virtuositatem) hic melius ac insuper minore pretio emi possunt quam illic (ex. gr. carbo in Germania et Anglia, bonum vinum in Francogallia melius ac viliore pretio emuntur quam aliis in regionibus), — vel etiam rerum hic major copia (quoad raritatem) quam illic. Etiam quoad mores et complacibilitatem — locorum diversitas est magni momenti (ex. gr. margaritae vitreae apud nos viles, apud rudes nationes magni habentur).

Postremo Antoninus notat, valorem rerum determinari competenti respectu personarum i. e. variis personis varia valoris est aestimatio: ex. gr. (quoad virtuositatem) bonam ac perfectissimam violinam artifex peritissimus pluris aestimabit quam homo rudis musicae; agricola in venditione publica picturam artificiosam et pulchram parvi faciet; aliter vir nobilis et artibus politus. Pariter filia rem, quae antea matris defunctae fuerat, pluris redimet quam homo alienus. Maxime quoad complacentiam fit respectus ad personam ementis in taxatione valoris.[3])

---

[1]) Cf. Scotus, quaest. sup. Sentent. IV dist. 15. qu. 2. „Aequalitas „valoris est servanda (sc. in permutatione rerum). Ista autem aequalitas „secundum rectam rationem non consistit in indivisibili; — quia justitia „habet tantum medium rei. Imo in isto medio est magna latitudo et „intra illam latitudinem non attingendo indivisibilem punctum „aequivalentiae et rei.“ Thomas Aqu.. Summa theol. 2. 2. qu. 77. a. 1. ad 1: „Justum pretium rerum non est punctualiter determinatum, sed magis in „quadam aestimatione consistit, ita quod modica additio vel minutio „non videtur tollere aequalitatem justititiae.“

[2]) Cf. Roscher, Grundlagen etc., § 102.

[3]) Cf. Neurath, Elemente etc., § 43.

Caput III.

De pretio rerum venalium.

§ 6. Limites justi pretii.

„Debet (inter emptorem et venditorem) secundum aequa- „litatem[1]) contractus fieri, quia emptio et venditio pro communi utilitate introducta videntur.“ — „Quantitas autem rerum,

„quae in usum hominis veniunt, mensuratur secundum pretium datum.“ (Anton. S. th. II. 1. 16. § 3 init.).

Inde sequitur pretium esse mensuram quantitatis (vel valoris) rerum in emptione et venditione. Pretium est ergo rerum valor commercialis mensuratus per pecuniam. Ideo ut justitia commutativa servetur, pretium valori mercis pro pecunia commutandae convenire oportet. Quod confirmat Antoninus l. c. Thoma[2]) auctore: „Tollitur autem justitia et aequalitas (in permutandis rebus utilibus), si pretium excedat quantitatem valoris rei vel e converso res excedat pretium.“

Valorem igitur rerum pretio eorum juste exprimi oportet. „Sic res non possunt licite vendi plus, quam valeant nec „minus emi pensato rerum valore in respectu[3]) ad usum „nostrum et probabile judicium humanae aestimationis mensurantis valorem rei intra limites latitudinis competentis.“

Hinc pretii statuendi est fundamentum: valor rei commutandae („pensato rerum valore“ etc.) constitutus in earum utilitate et „probabili judicio humanae aestimationis.“

Pro valore autem rei ejus virtuositatem, raritatem et complacibilitatem habere magnam vim patet ex iis quae supra § 4 dicta sunt.

Jam quaeritur, quae sit „competens latitudo“ valoris rei, intra „cujus limites pretium possit extendi“. Respondet Antoninus (p. II. tit. 1. c. 16 § 3):

„Tripliciter hoc innotescere potest: ex jure, ex consuetu- „dine, ex discretione“.

„Et primo ex jure: quia, si pretium, quo venditur res, „excedat medietatem justi pretii, ex. gr. ut valet res decem „floren. prout communiter aestimatur et venditor petit et „recipit decem et sex florenos, tunc secundum jura contractus „nullus (extra de empt. et vendit.). Si tamen minor excessus, „quam medietas justi pretii, si sit notabilis utique, est ibi „injustitia et per consequens peccatum mortale et restitutio „facienda quantum ad eum, per quem fit deceptio adver- „tenter in pretio multum excessivo et defectivo.“

„Si porro sciens vel advertens quantitatem escessus vel „defectus libere consentit in tale pretium et contractum, in „nullo tenetur alter cum eo contrahens, cum sciat, illum ad-

„vertere de excessu vel defectu pretii, et ratio est, quia „scienti et volenti non fit injuria neque dolus.“

Si ergo adest plenus consensus, licet „venditori rem suam „absque omni pretio dare et donare, ita etiam potest pro „centesima parte pretii rem suam vendere ad suum bene„placitum.“ Fieret autem tum injustitia ex parte emptoris, „si cogeretur venditor ad vendendum aliqua magna necessi„tate ad hoc inducente, cum non potest aliter sibi providere, „vellet tamen justum pretium, sed invenire non potest, — „vel etiam magna levitate ad hoc movente.“

„Secundo ipsa latitudo pretii potest innotescere ex con„suetudine; nam, ut dicit Scotus in IV[4]) sc. quod experientia „satis patet, quod consuetudinarie relinquitur ipsis permu„tantibus, ut pensata mutua necessitate reputent, se mutuo „dare aequivalens et hinc inde accipere. Durum quippe „videtur inter homines contractus esse, in quibus contra„hentes non intendant aliquid de rigore judiciali, qui est, „ut tantum res ematur vel vendatur quantum valet: „sibi mutuo relaxare, ut sic communem contractum comi„tetur aliqua datio vera, et hic modus commutativus „fundatur quasi super lege dicente: fac alteri, quod tibi vis „fieri.“

Oportet ergo inter emptorem et venditorem secundum jus naturale et laudabilem consuetudinem esse quandam benevolentiam, (quae eo magis omnem in venditione aufert et excludit fraudem), per quam unusquisque alteri in contrahendo aliquid boni facere studet.

Oportet pretium niti in valore rei (virtuositate, raritate, complacibilitate). Quod fit intra competentem latitudinem. Quae latitudo habet certos limites, quos pretium in valore subnixum excedere non debet, qui sunt: jus, consuetudo, discretio. Unum limitem praebet rigidus terminus juris, secundum exhibet benevolentia (consuetudo) tertium dat cautio et retentio rei cujusdam discretae, quae usu vel quibusdam aliis circumstantiis possessori carissima facta est (discretio).

Ad discretionem quod attinet, ipsa iuxta Antoninum „dictat quod, cum res in se valens decem tamen „habenti est cara et utilis ut duodecim; si volo habere, dem „sibi non decem, sed quantum sibi valet, ex quo ipse retinere

„volebat, quia utilem ut duodecim. Inde Thomas[5]) dicit, „quod vendere rem plus, quam valeat, injustum, nisi in „detrimentum cederet venditoris, vendere sc. quantum „valet, puta quia sibi multum est utilis illa res vel neces- „saria (vendere poterit, quantum valet ipsi venditori). Sed „quamvis emptor (emptori enim non conceditur ratio dis- „cretionis) multum juvetur ex re, quam vult emere, si ven- „ditor inde non damnificatur ex carentia ipsius rei, non „propterea potest plus vendere, quam valet in se, quia „utilitas, quae supervenit emptori, non est ex conditione „vendentis nec ex conditione rei in se, sed ex conditione „ementis; inde non debet vendere illi, quod non est suum. „Idem Scotus in IV.[6]) Si tamen sua liberalitate emptor vult „aliquid plus dare, quam valeat res, quia inde multum ju- „vatur, potest recipi."

---

[1]) Cf. Roscher, Grundlagen etc. I, § 101, annot. 9 et 10.

[2]) Thomas Aqu., Summa theol. 2. 2 qu. 77 a. 1: „Si vel pretium „excedat quantitatem valoris rei vel e converso res excedat pretium, tolletur „justitiae aequalitas. Et ideo carius vendere vel vilius emere rem, quam „valeat, est secundum se injustum et illicitum".

[3]) Cf. von Wieser, l. c. § 14: „Dem subjektiven Werte entspricht „jeweils ein bestimmtes Gefühl, (cf. „respectu") mit einer Bedürfnis- „befriedigung („ad usum") vom Gutsbesitze abhängig zu sein, ein „bestimmter Grad des Interesses. — Dem objektiven Wert entspricht „jeweils nichts als ein bestimmter Preis, eine bestimmte Grösse der „Zahlung."

[4]) Duns Scotus, Quaestion. IV. 15. 2. (p. 447).

[5]) Thomas Aqu., S. theol. 2. 2. qu. 77 a. 1: „Puta, cum aliquis „multum indiget habere rem aliquam et alius laeditur, si ea careat: et in „tali casu justum pretium erit, ut non solum respiciatur ad rem, quae „venditur, sed ad damnum, quod venditor ex venditione incurrit, et sic „licite poterit aliquid vendi plus, quam valeat secundum se, quamvis non „vendatur plus, quam valeat habenti."

[6]) Scotus IV dist. 15 qu. 2: „Si quis multum re sua juvetur et per „magnam instantiam inducatur ab alio, ut vendat, — cum possit se prae- „servare indemnem et ex venditione ... ista multum damnificatur, potest „carius vendere, quam si alias sine tali damnificatione venderet", qui valor discretus et individualis communi a valore rerum ejusdem generis aliquanto discrepare potest.

§ 7. Excessus pretii.

De excessibus pretii disserens quaerit Antoninus (p. II tit. 1. c. 16 § 3) num quodcunque pretium sit licitum.

„Limites" justi pretii qui non observat, committit „excessum". „Tripliciter autem fieri potest excessus in pretio rerum „venalium vel defectus: Primo quidem ultra dimidium justi pretii."

„Si dicatur, quod unusquisque in re sua est moderator et „judex secundum jura, ergo rei meae possum pretium im„ponere, quod volo: nec aliquis potest me cogere ad „praetaxatum sicut nec etiam ad vendendum" — „quia „contractus emptionis et venditionis est mere voluntarius „(juxta illud proverbium legale: res tantum valet quantum vendi potest)", dicendum: „quamvis quis non cogatur ad „vendendum rem suam, tamen in actu vendendi, si vendere „vult, formas juris et regulam justitiae servare debet et „aequitatis. Et ideo in actu vendendi non licet sibi, rei suae „statuere injustum pretium et accipere, quia (pretium) tunc „non imponit rei ut simpliciter suae, sed in alterum commutandae."

Insuper secundum Hostiensem[1]): „Si quis rem exposuerit „venalem et pretium offeratur, si pro justo pretio vendere „non vult, cogi potest per judicem, quod justo pretio vendat."

Ergo regis vel judicis est: utilitatis et incolumitatis infirmorum et imperitorum causa praestare tutelam justitiae in commutationibus servandae[2]).

„Secundus excessus est in contractu hujusmodi, quando „utique notabilis est, non tamen pertingens ad medietatem „justi pretii."

Si quis dixerit, jura hoc permittere, quia lex talibus poenas non statuit, „respondet Thomas" (cf. S. theol. 2. 2. qu. 77 a. 1) „quod lex datur populo, in quo sunt multi de„ficientes a virtute; inde solum prohibet ea mala, quae „habent destruere humanum convictum pacificum." „Sed „lex Divina (quae datur omnibus) nihil dimittit impunitum, „quod sit virtuti contrarium. Unde secundum divinam legem „illicitum reputatur, si in contractibus aequalitas non servatur, „quod fit plus vendendo rem, quam valuerit."

„Cum beato Thoma[3]) concordant Joannes de Lignano et „Joannes Calderinus[4]) et plures alii canonistae."

„Tertio excessus est, quando in hujusmodi contractibus „parum fit damnificatio, ut, quod paulo plus venditur res vel „paulo minus emitur justo pretio. Etsi pretia rerum non

„consistant in puncto indivisibili et habeant quandam „latitudinem in plus et minus, tamen dicendum, quia „latitudo illa debet esse competens — et sic habet limites „suas. Sed si quis contra conscientiam vendat plus vel „emat minus justo pretio i. e. credens excedere supremum „gradum latitudinis pretii, etsi in modico, — non potest „excusari a peccato, saltem veniali, cum omnis deceptio et „fraus sit peccatum, et etiam teneatur ad satisfactionem, „sed ex quo minutiae tales sunt innumerae et parum inde „etiam laeditur proximus, debet illud sic injuste acquisitum „pauperibus erogari."

„Alii putant, si fiat diminutio vel excessus justi pretii „in contractibus in modico, non est necesse, restitutionem „facere. — Ad quod probandum inducunt triplicem rationem:

„Primo quidem: rationem pacis et salvationis, quod „communis consensus ac recta et discreta consuetudo vult, „quod non omnis excessus in talibus restitui sit necesse, et „hoc ideo, quod expedit temporali et spirituali paci: quia „aliter infinitae querimoniae et litigia ex hoc orirentur, et „quia difficillimum sit, maxime in hominibus imperfectis „ab hujusmodi contractum excessibus se totaliter deputare „inhiantibus lucris, ex quibus et in quibus pars communitatis „hominum consistit".

„Secundo hoc idem probatur ratione mutuae „concordationis; nam etsi in aliquo, praeter intentionem „et propriam aestimationem defraudatur, citra tamen excessum „enormem, — vult (emptor et venditor) nihilominus contractum „initum ratum esse et firmum".

„Tertio hoc probatur ratione humanae aestimationis, „quae quidem incerta est ad mere justa pretia praetaxanda „et praecise discernendum excessus et defectus justi pretii."

Ad quae omnia Antoninus respondet dicendum, quod „in hujusmodi contractibus sunt duo praecipue attendenda: „intrinseca affectio et extrinseca operatio. Et quantum ad „primum sc. ad intrinsecam affectionem sciendum, quod pro „quanto vult in proximum scienter aliquam inaequalitatem, „pro tanto aliquid de injustitia habet, quae, si non est „mortale, quia non notabilis, sufficit aut per contritionem „et poenitentialem satisfactionem aut per purgatorii ignem „sicut et cetera venialia expiari;" sc. quoad solam „externam

„operationem", si deest voluntas decipiendi, minor inaequalitas stare possit, „quantum ad operationem extrinsecam et „commutationem licet secundum veridicam aestimationem „pretii sui contineat aliquantulam inaequalitatem." Attamen Antoninus praedicatoribus commendat cautionem: „Propter „pravitatem humani affectus ad talia temporalia inclinati et „propter inaequalitatem talium commutationum, securius „et justius est, et omnem talem excessum scienter factum, „si alicujus quantitatis appretiabilis foret, satisfacere," — et praedicandum esse „cum magna discretione, cum populi „ad dilatandam conscientiam sint proni".

[1]) De Hostiensi (Henrico de Segusia) eiusque Summa, cfr. Schulte, Gesch. der Quellen und Literatur des canon. Rechts, Stuttgart 1877, II, 123 sq.

[2]) Cf. quae supra (§ 1) dicta sunt de homine ut „fine cui" bonorum oeconomicorum.

[3]) Thom. Aquin. Summa theol. 2. 2. qu. 77 a. 1 ad 1.

[4]) Schulte l. c. II, 247 sq., 257 sq.

§ 8. De gradibus pretii justi (de pretis justo).

Postquam supra (§ 4) fundamenta valoris (virtuositatem, raritatem, complacibilitatem) et (§ 6) limites cognovimus (jus, consuetudo, discretio) quibus pretium terminatur, — nunc tractandum erit de gradibus „pretii justificati".

„Advertendum est", ait Antoninus (p. II tit. 1 c. 8 § 1), „quod hujusmodi primi pretii justificati et limitati potest etiam „distingui triplex limitationis gradus etiam justus:

„Primus potest nominari pius, secundus discretus, „tertius rigidus."

„Primus est pretii minoris: secundus est mediocris, „tertius est majoris, v. gr: sint decem petiae panni ejusdem „videlicet bonitatis et laboris, artificii et expensae. Harum „decem petiarum secundum varia capita et diversas sententias „circa illas a variis varia aestimatio fiet. Quidam aesti- „mabunt quandam illarum pretii quinquaginta ducatorum et „hic potest pretii limes et gradus dici pius; item alii quin- „quaginta cum dimidio et talis dici potest gradus discretus, „quidam vero alii sexaginta, et hic dici valet limes et gradus „rigidus et severus."

Cujus limitati pretii Antoninus affert causam: atque primum quidem „propter varietatem emptorum et venditorum;" – „secundum varia capita et diversas sententias circa illas a „variis varia aestimatio fiet."

Aliam profert rationem hanc: „Nunc aliquis venit non „habens denarios, unde potentialiter solvat, dilationem solu„tionis possit. Si igitur venditor tunc non statim solvendus „propter hujusmodi pretii exspectationem pretium augeat „usque ad pretium rigidum, non reprehendendus."

Tertio pretium potest esse discretum ratione indem„nitatis": „Notandum insuper, quod, cum quis vendit merces „quascunque (lanam, linum, pannos, victualia) pretio majori „(rigido), quam sit illud, quod tunc valent, cum venduntur „ex eo, quod non intendebet eas vendere, sed servare usque „ad tempus, quo probabiliter aestimabat tantum tunc valituras, „vel plus quantum nunc vendit, sed ad instantiam alterius „vendit (secus autem, si non intendebat ea servare sed tunc „vendere)." — Idem dicendum de emptore sc. quod, si „emptor dat pretium, antequam recipiat merces, et minus „dat, quam tunc valent, cum emit ex eo, quod eo tempore, „quo recepturus est merces, verisimiliter aestimatur, quod „minus debeant valere, quam tunc, cum emit, vel saltem „dubium est, utrum plus vel minus sint valiturae, quam sit „pretium datum, — pretium et justificatum et licitum."

„Ratione indemnitatis" ergo venditor „ad instantiam alterius" vendens potest postulare pretium, in quod verisimiliter merx quaedam mox increscet; ex. gr., si forte mercatori soli nuntiatum est messem coffeae nullam fere fuisse, — exspectans pretii adauctionem vel incrementnm, debet exspectare, non venditurus copiam suam coffeae, vel ad instantiam vendens debet postulare pretium discretum et majus.

*) Discerni potest aliquo modo inter „limitem" illum pretii justificati, qui est discretio (cf. supra § 6), qui positus est ad deterrendos vel omnino repellendos emptores, quia res quidem omnino venalis non est, — et inter „pretium discretum" intra limites justitiae, quod ponitur „ratione indemnitatis". Discretio emin, ut „limes pretii justificati", potest currentém in foro valorem permultum egredi, quia res per se vilior domino potest esse valoris summi et affectivi, ex. gr. imago parva matris dilectissimae vel gladius, quo quis in pugna utebatur, vexillum,

quod quis in pugna hostibus eripuerit, etsi res per se minoris vel nullius valoris, militi forti pro mille ducatis haud venale. „Pretium autem discretum" est illud, quod quis intra limites pretii justificati ipse ponit, non quasi non velit vendere, sed quia merces majoris pretii futuras esse providens, eas usque ad illud tempus reservare in animo habet, (ut frumentum ab agricola servatur, ut suo tempore sibi majus fiat pretium).

§ 9. De pretio faciendo.

Pretii taxatio non est arbitraria, ita ut, qui forte magno pretio emerit, debeat omnino eodem pretio vel majori et cum additamento lucri cujusdam vendere — si res in foro vilioris est pretii. Itaque Antoninus II. 1. 8 § 2: „Istud", inquit, „non „est simpliciter verum, quod in omni casu liceat mercatori „plus vendere, quam ei constiterit, sed aliquando oportet, „quod tantundem vendat, aliquando etiam plus, secundum „quod plus vel minus illo tempore, quo vendit, valet illa „mercantia; quod procedit ex abundantia vel penuria „ejus, secundum quod plus vel minus repetitur."

Super rebus ergo in foro (a vendentibus) oblatis et (ab emptoribus) repetitis („Angebot und Nachfrage") preti taxatio fundatur.

Proportio inter indigentiam et penuriam i. e. inter magnam et instantem requisitionem („plus repetitur") et parvam copiam rerum perficit notionem „raritatis", quae et in valore et in pretio taxando invenitur.

Cum Thoma Aqu. (Summa theol. 2. 2. qu. 77. a. 1) dicit Antoninus (p. II. tit. 1 c. 16 § 3): „Quantitas rerum, quae „in usum hominis veniunt, mensuratur secundum pretium. „datum, ad quod inventum est numisma, ut dicitur „5 Ethic. c. 5 et ideo, si pretium excedat quantitatem „valoris vel e conversores excedat pretium, tollitur justitiae „aequalitas." Et pergit Antoninus: „Sic igitur res non possunt licite vendi plus, quam valeant (pensato earum valore in respectu ad usum nostrum etc.)

Propterea supra (p. 20) diximus: „Pretii taxatio fundatur in valore rerum".

Sed jam ad valorem constituendum supra (§ 4) exposuimus: tres proprietates rerum esse magni momenti: „virtuositatem, raritatem, complacibilitatem".

„Virtuositas", i. e. utilitas ad explendas indigentias in rebus venalibus vel in foro oblatis ut prima nota et ratio valoris usualis, in quantum valor usualis (utilitas) etiam agnoscitur in rebus venalibus (i. e. in valore commerciali hodie sic dicto) in rebus solito est aequalis. Equus enim, ut exemplum afferam, secundum volorem usualem in foro vel commercio agnitum habet pro consueto eandem virtuositatem ad equitandum, trahendum etc. Nec minus vacca, semper secundum virtuositatem vel utilitatem erat aequaliter taxata, etiamsi variis temporibus vario pretio mensurari potest.

Ut ergo quoad valorem, ita quoad pretium „virtuositatis" ratio habenda est. Quae „virtuositas" in rebus ejusdem generis communis i. e. illa idoneitas vel aptitudo ad explendas indigentias cum omnino fere maneat in ejusmodi rebus aequalis, — pro pretio proprie taxando et pro varietatibus in pretiis declarandis modo in tantum habet pondus, in quantum utilitas est fundamentum valoris et pretii, i. e. in quantum res modo utiles valorem et pretium habent, et — „secundum „quod (res) ex suis realibus virtutibus et proprietatibus est „nostris temporibus virtuosior et efficacior," — etiam varia utilitas variarum rerum diverse appretiatur.

Animadvertendum autem est, quo res sint utiliores eo haud esse semper pretii majoris. Fieri enim potest, ut, si indigentia necessaria et urgens expleta est, res luxuriae et pompae inservientes, in se parum utiles ac vanae, ex. gr. imagines, gemmae etc. saepe multo majorem habeant valorem quam eadem quantitas panis.

In casu tamen necessitatis, si periculum est, ut indigentiae hominis necessariae omnino non satisfiat, — accidit (quod naturale est et a principio erat), ut res ad vivendum necessariae (panis, vestes) plurimum valeant; ex. gr.: qui permigrat deserta loca famem patiens ac mortem fugiens dat pro ficu sibi oblato pretiosissimas gemmas.

Quod momentum utilitatis manifestae i. e. „virtuositatis" rei (ex. gr. vaccae, equi etc.) est constans ac perpetuum, exceptis parvis mutationibus, quas affert forsan „progressus technicus [1])" in usu rerum, et quia regulariter illa virtuositas rebus innata quoad res ejusdem generis non mutatur, etsi est fundamentum valoris vel pretii aestimandi

necessarium, tamen quoad variantia pretia rerum ejusdem generis haud specialiter consideratur.

Quod valoris momentum autem (utilitas vel virtuositas) non est idem, quod pretium, sed tantum continetur implicite in formula „oblati vel expetiti“ in foro commerciali („Angebot und Nachfrage“), in quantum fit modo expetitio rerum utilium. Sed hac in formula „mercis oblatae vel expetitae“ explicite statuitur momentum illud raritatis et complacentiae.

Raritas enim habet aliquid ponderis ad mercem offerendam („Angebot“), in quantum res, quae „ex suae inventionis „raritate vel difficultate“ haud crebres sunt vel „difficulter“ producuntur vel inveniuntur vel (usui) adaptantur, — etiam parce tantum offerri et in foro exhiberi possunt.

Etiam in „expetitionem“ rerum („Nachfrage“) indirecte raritas habet influxum, in quantum res, quae difficulter producuntur vel inveniuntur et ideo raro offeruntur vel in foro exhibentur, a divitibus et iis, qui possunt tales sumptus facere, jam prorsus expetuntur et comparantur majore pretio, dum egeni, rebus a divitibus praeemptis atque occupatis, relinquuntur inanes et efficaciter rem expetere nequeunt (ex. gr. pretiosas imagines vel aurea vasa plebs „expetere“ et emere non potest).

Juvat jam hoc loco monere, in illa „raritate“ vel „difficultate“ sc. comparandi vel producendi vel transformandi hoc innui, quod in valore et pretio taxando computatur vel taxatur etiam omnis opera posita vel consumpta in producendis, colendis, transformandis, transportandis, conservandis et exhibendis mercibus. Operae ergo, labores, ratio vendendi „per partes“ vel „in notabili quantitate“ (cf. infra § 11), mercedes operariorum, salaria, mercedes habitationis taxantur implicite illa in „difficultate inventionis“, quam memorat Antoninus, quia labores etc. ad res conficiendas (producendas) necessarii obstant, quominus res immense et ad libitum in foro offerantur.

Complacibilitas autem, tertium valoris momemtum, pretio in tantum exprimitur, in quantum ad expetendas vel repetendas merces pertinet. De complacibilitate Antoninus (cf. supra § 4) dixit: „— Secundum quod magis vel minus „bene placet voluntati nostrae, habere talem rem et uti ea

„i. e. rem in facultatem voluntatis assumere.“ Quod momentum Antonino est „non modica pars valoris venalium „rerum“, et pergit Antoninus: „Hoc modo unus rem alteri „viliorem multum appretiatur et e converso.“

Itaque in quantum res quaedam in propria sua individualitate emptori cuidam est specialiter adaptata (ex. gr. pretii solvendi ejus facultati, — vel condicioni personali, vel dignitati vel fortunae ejus), — ipsa per hoc fit illi personae carior et pluris aestimata secundum individualem proprium ac concretum valorem (valorem commercialem subjectivum) — quam secundum solum valorem „usualem“ in foro ab omnibus agnitum (valorem commercialem objectivum)[2].

Si emo ex. gr. equum, ejus „virtuositas“ communis ad vehendum, equitandum etc. haud plane perficit et explet omnem valorem — sed complacet mihi res ex. gr. equus vel baculus non ut equus vel baculus, sed ut talis equus et talis baculus i. e. in quantum talis equus currui meo sc. parvo, talis baculus staturae meae parvae vel nobilitati et diquitati vel etiam facultatibus meis est adaptatus vel in quantum hic equus a venditore illo mihi datur cum „solutionis exspectatione“, vel in quantum hic canis mihi non solum ut canis vigilans sed etiam ad transportandum vel vehendum possit esse usui.


Complacibilitas ergo magni momenti est ad „expetitionem“ rerum in foro. Hinc intelligitur, quomodo secundum uniuscuiusque condicionem individualem et oeconomicam tales res huic vel illi valoris et aestimationis esse possint et ab eo emantur, quales ab aliis parvi vel nihili penduntur et omnino negliguntur: ex. gr. tenuissima cerevisia vel cibus communis popinarum illis habent complacibilitatem et sunt causa „expetitionis“ illorum, quibus secundum miseram condicionem suam oeconomicam hae res etiam sunt magni aestimatae, dum ab aliis parvi penduntur.

Idem dicendum est ex. gr. de collectoribus pannorum, qui viles emunt panniculos laceratos, fragmenta vel reliquias ciborum, ossa abjecta etc.

Hic valor concretus rei emendae (i. e. „valor commercialis subjectivus“) proveniens ex complacibilitate i. e. aptitudine ad condicionem ementis, respondet quodammodo

praefato valori usuali concreto, quem res, antequam venderetur, ut talis res tali possessori habuerat, — quo valore concreto, et ut ita dicam speciali, res nunc foro et commercio addicta exuitur et in communem quendam rerum ejusdem generis valorem „usualem" (quem nunc dicimus: valorem commercialem objectivum) redigitur, usque dum, re ad vendendum proposita, denuo magis vel minus bene placeat voluntati quorundam emptorum, „habere talem rem et uti ea." (cf. supra § 4 pag. 21. — Antonini S. theol. II tit 1. c. 16 § 3.)

Ad rem planius probandam liceat haec addere:




Si circulus F figurae linearis hic appositae significat forum, in quo res per se modo habeat valorem omnibus rebus ejusdem generis fere communem, „usualem" seu commercialem objectivum (ex. gr. equus communiter ad vehendum vel equitandum, et non ut talis equus), et porro si parabola A ⌒ B significat transitum rei a possessore privato A in forum (F) et a foro in manus emptoris cujusdam B —, pars parabolae AC significat characterem individualem, quo res in foro (F) exuitur, usque dum per „complacibilitatem" rursus accipiat vim et valorem individualem atque concretum, personae B adaptatum (cf. DB).

Postquam igitur vim, quam unumquodque momentum valoris habet etiam ad pretium taxandum, secundum unum locum ex Antonini Summa (II. 1. 8. § 2) attigimus et consensum ejus cum alio Antonini effato (Summ. II. 1. 16 § 3) exposuimus, retinenda iam erit consueta formula „oblati et expetiti" („Angebot und Nachfrage") vel loquamur

de „abundantia et penuria, secundum quod (res) „plus vel minus repetitur“, vel „de facultate habendi“ et „indigentia“ vel necessitate vel „complacibilitate“.

Multo dilucidiora cernentur ea in figura lineari heic apposita, iuxta quam duae partes (indigentia et facultas



habendi: circulus J et circulus F) desiderant se contegere et commutare vel in unum se redigere. Ab una parte (J) desideratur motus in circulum F ex vi indigentiae (necessitatis vel complacentiae), — ab altera parte (F) ordinatur vel intenditur motus in circulum J secundum (majorem vel minorem) copiam rerum in foro oblatarum. Duo circuli (J et F) se contegere student atque ad invicem moventur propter commune illud utriusque partis emolumentum (cf. supra pag. 20: emptio et venditio introducta videntur pro communi utilitate, dum unus indiget re alterius“.)

Una pars (circulus F) id maxime studet, ut merces oblatae emantur, altera pars (i. e. circulus J, expetens vel indigens) ad id tendit, ut indigentia expleatur.

Si ergo indigentia (fundata in necessitate et complacibilitate) significatur circulo J — et copia rerum utilium, quae esse potest major vel minor, significatur circulo F, sedulo id agitur, ut J in F et per F contegatur et duo circuli (J et F) quasi concentrice sibi incorporentur.

Etsi, ut diximus, „emptio et venditio pro communi (paciscentium) utilitate introducta videntur“, tamen pars ementium et pars vendentium, utpote commune utriusque partis bonum intendentes vel perpetrantes, — alia principali gubernantur intentione:

Circuli J (i. e. indigentiae), qui significat indigentias nostras, est quasi intimus nucleus: necessitas habendi (circulus interior I figurae linearis), et (alter major circulus: II) „complacibilitas“ bonorum.

Ex parte ergo ementium vel hominum res expetentium principalis ratio pretii taxandi est relatio bonorum in foro praesentium ad necessitatem et complacentiam ementium.

Circuli F („facultatis habendi“) est principalis vel formalis ratio taxandi primum: raritas inventionis (raritas naturalis i. e. circulus minimus **a**), deinde (secundus circulus circulo a circumscriptus: **b**): „difficultas inventionis“, in quantum res sunt difficiles ad producendum, extrahendum transformandum, secandum vel servandum etc., ergo: expensae, labores in producendo, comparando, adducendo, transportando ad indigentes, in conservando etc.

In quantum circuli J et F student se contegere, intendit et assequitur uterque commodum suum.

Quo acrius in studio se assimilandi vel contegendi haec vel illa pars (J vel F) in „offerendo“ vel „expetendo“ procedit, in quantum nunc indigentia vel necessitas est major et deinde major est facultas habendi, ita ut merces copiose et instanter offerantur, — naturaliter pretium aut crescet aut imminuetur.

---

[1]) De progressuum technicorum relatione ad pretium, cf. von Wieser, l. c. § 29.

[2]) Cf. supra p. 22 sq. — Wieser l. c. § 13.

[3]) De energia varia in repetendo vel offerendo merces, cf. Roscher, l. c. I § 101.

§ 10. De „conjecturalis et probabilis opinionis“ vi ad pretium taxandum.

Praeterquam quod radices valoris et pretii patefecimus ex verbis Antonini (Summ. II. 1. 16 § 3): „Valor rerum, „venalium vix aut numquam a nobis potest determinari nisi „per conjecturalem et probalilem opinionem“ et „sub „aliqua latitudine competenti respectu temporum, locorum „et personarum“ supra (§ 5 init.) citatis colligitur, pro pretio figendo conjecturalem et probabilem opinionem paciscentium

esse magni momenti: ut aliqua latitudo concedatur „competenti respectu temporum, locorum et personarum". Nemo dubitat, quin pretium justissime ac rectissime figatur vel statuatur: si opinio illa conjecturalis de copia et inopia rerum (facultate habendi F) et de multitudine emptorum vel indigentium (J) reipsa comprobatur.

Quod attinet ad emptores et venditores, rectior ac tutior opinio magis venditoribus praesto esse solet quam emptoribus.

Mercator*) enim propter peritiam in commercio acquirit facile circumspectionem quoad personas, tempora et loca mercaturae negotiis opportuna. Qui autem indiget rei alicujus i. e. empturus non semper habet peritiam et circumspectionem quoad vim et qualitatem rerum oblatarum et copiam rerum, quarum unam vel complures desiderat, quae copia (sc. abundantia vel penuria) rerum maxime pertinet ad pretii taxationem. Si quis habet minorem circumspectionem, eius „coniecturalis opinio" utique minus firma et forsan falsa est.

Recte igitur Antoninus censet pretium non solum a relatione indigentiae ad habendi facultatem pendere, sed etiam a conjecturali vel prababili de mercibus in foro praesentibus opinione. Hinc patet magistratus vel regis esse, renunciationes authenticas ac continuas ementibus et vendentibus exhibere: de messium condicione vel fortuna, de copia mercium (ad vitamnecessariarum), in patria exstante, de pretio rerum in variis foris currente. Patet porro, esse regis procurare, ut venditio et oblatio mercium in foro non sit artificiose penes paucos (ratione monopolii), qui de copia et inopia rerum forte falsam opinionem pervulgantes et artificiose inopiam simulantes indigentibus constituant pretia atque imperent in foro. Quis non audierit querelas permultas de artificiis ex. gr. illorum, qui super frumento lucro inhiantes avide speculati fuerint etiam nostris temporibus?

Quoad „conjecturalem illam et probabilem opinionem" de pretio cf. locus alius (p. II. tit. 1. c. 22. § 8) Summae Antonini, ubi aromatarii mentio fit, qui aromota sua pretio majore cupit vendere, quamquam (ipse solus) novit ex nuntio ad eum lato, eodem tempore a civitate Orientali venditam esse magnam aromatum copiam ipsamque transportari et jam appelli in portum Venetorum. Quia autem solus id scit,

priusquam res veniat ad omnium notitiam, pervulgat falsam opinionem, protinus aromata propter inopiam in majus crescentem carius venditum iri, — id agens, ut propter hanc opinionem augeantur pretia aromatum et pretio caro aromata celerrime (i. e. antequam navis portum intraverit) expetantur.

*) De mercatorum peritia cf. Aristotel. Politica l. I. c. 4. § 6 (ed. Acad. Reg. Boruss. vol. III c. 4 n. 11) et Thomas Aquinas, Commentar. in Aristot. Polit. III (ed. Paris 1645), lect. IXb.

§ 11. Quae ratio expensarum, laborum, artis [1]) in statuendo pretio habenda sit.

Supra (pag. 22 § 4b al. 6) tractantes de vi raritatis in pretio taxando quoad „difficultatem inventionis“ mentionem fecimus expensarum, sumptuum etc. in bonis producendis, comparandis et transportandis. Nunc accuratius de expensis est agendum.

Qui offert merces in foro, naturali valori rei debet aliquid adjicere, ut notat Antoninus, „in recompensationem laboris, industriae et expensarum“ (p. II tit. 1 c. 16 § 2) nec minus in recompensationem „artis in emendo“, (p. III. tit. 8 c. 3 § 4) quae ars crescit ex disciplina et peritia, quam quis pecuniae et tempori haud parcendo acquirit.

Notione expensarum continetur etiam, quod merces diu asservantur, antequam venduntur. (III. 8. 3. § 4).

Ad labores et expensas etiam pertinent cura librorum, in quibus commercia vel negotia scribuntur, cura de asservatione mercium, salaria officialium et pensiones aedium vel officinae ac labores de exigendo solutionem (hodie apud nos: Buchführung, Porto, Spesen etc.).

Insuper Antonino (p. III., tit. 8 c. 4) pro labore artificis „nulla lex sanciri“ posse videtur, in quantum arbitrio boni viri pretium exstat „secundum laborem ibi habitum et in-„genium s. industriam facientis et morem patriae. Nam „in quacunque arte attenditur nobilitas materiae et in-„dustria facientis et periculum etiam, puta si lapidem „pretiosum includendo vel laborando circa eum esset peri-„culum fractionis“.

Ratione ergo expensarum[2]) in pretio computari debent haec:

a) primum quidem ingenium et ars i. e. scientia et disciplina mercatoria, quam quis forte in scholis acquisivit, — porro ingenium vel indoles et specialis peritia vel exercitatio;

b) secundo labor, qui consumitur;

α) vel immutatione, vel comparatione vel inventione mercium (ex. gr. in conflando aere).

β) discurrendo etc. (p. III. tit. 8 c. 3 § 4) i. e. in opera emendi, vendendi, scribendi, exigendi etc. Ad hoc pertinet etiam, si res non „in notabili quantitate", sed „minutatim" et „per partes" venduntur. (l. c.)

c) tertio propriae expensae pro victu, vestitu, mercede[3]) operariorum, pro salariis, conductione tabernarum etc.

d) quarto ratio damni, fractio mercium in vectura, diutior asservatio mercium vel nimia exspectatio vendendi in vendendo „per partes". (l. c.)

e) quinto: ratio periculi („in nobilitate materiae") ex. gr. in auro, gemmis vel pretioso vitro facile aliquid perit fractione). Ad quod pertinent sumptus „securitatis" vel assecurationis.[4])

---

[1]) De relatione inter pretium et expensas, cf. von Wieser, l. c. § 49—61. — Roscher, Grundlagen etc. I, § 106.

[2]) Cf. Thomas Aqu., S. theol. 2. 2. qu. 77 a. 4 ad 1 et[2]). Scotus IV, dist. 15, qu. 2.

[3]) De mercede congrua, in quantum est instar expensarum cf. Antonini Summa II. 1. 17. § 8; III. 8. 4. § 4.

[4]) De assecuratione l. c. II. 1. 6 § 2; 7. § 21; III. 8. 3. § 1. 2; IV. 12. 3. § 1.

§ 12. De emendo et vendendo eodem loco et eodem tempore.

Haud dubium est, quin labor desideret recompensationem in pretio et quin in hoc labore non solum comprehendatur immutatio (p. III. tit. 8 c. 3 § 4), sed etiam portatio, asservatio, comparatio mercium. Iam quaeritur, num liceat mercem eodem tempore et eodem loco sine labore evidenti emere et cum lucro statim vendere.

Qua de quaestione fit responsum p. III l. c: „Eodem „tempore et eodem loco emere minore et vendere majori „pretio" videtur illicitum, „nisi excusetur ars eorum, quod

„ipsi emerunt in notabili quantitate pannos vel supellectilia, „et ipsi postea, ut plurimum, vendunt non statim, sed de „tempore in tempus et per partes.“

Fieri potest, ut quis merces suas lucri causa sit transportaturus in alium locum (cf. supra § 5), ubi majora sunt pretia. Priusquam autem incipiat transportationem, aliquis in loco ei offert idem pretium, quod erat accepturus in remoto illo loco. Qua de re dicit Antoninus p. II. tit. 1 c. 8 § 7: „Sed quid, cum quis non venditurus res in loco illo, in quo „quis vult emere ab eo, sed in alio, ubi carius illae res „venduntur, numquid vendendo secundum illud pretio loci, „quo volebat deferre, usuram committit?“ Antoninus taliter quaerenti non prorsus et in omni casu concedit licentiam: re vera enim nemo ultra consuetum pretium solvet, nisi maxima in necessitate („non est verisimile, quod „aliquis talem emptionem faceret, nisi multum egeret et sic „via per talem opinionem paratur figmentis“).

Caeterum alio loco*) aliter iudicat.

Haud elucet ex Summa, an Antoninus, qui propter artem augmentum pretii fieri posse fatetur, huc referat etiam rationem temporum prudenter habitam („Wahrnehmung einer günstigen Conjunctur.“)

*) Scilicet in „Summula confessionis“ § 165: „Utrum „mercator possit lucrari de re empta, quam in nullo melioravit?“ — „Potest, dummodo justum pretium non excedat.“

§ 13. De pretio minimo.

Ad pretium minimum statuendum vendens et emens diversa ducuntur intentione:

a) Valor naturalis (i. e. utilitas et expensae) quoad pretium imprimis consideratur: ex parte merces offerentis.

b) „Expetentis“ i. e. ementis est necessitas et facultas solvendi individualis.

Antoninus autem aperte notat (cf. de „consuetudine“ supra § 6): „Relinquitur ipsis permutantibus, ut pensata „mutua necessitate reputent, se mutuo dare aequivalens „et hinc inde accipere.“

Necesse est ergo: Offerentem et expetentem, ut pacto conveniant, sibi mutuo aliquid concedere.

Offerens enim (merces) i. e. venditor praeter expensas, quas ipse pro merce fecit, servato debito lucro in pretio statuendo, respicere debet consuetum usualem valorem, qui inest in re quadam, quam quis empturus est; ex. gr. pro vacca, quae exhibet lac et carnem cujusdam mensurae vel quantitatis, regulariter haud centum ducatorum pretium statuere vel exposcere debet, quantamcunque summam pecuniae in transportationem forte periculosam erogaverit.

Expetens autem (merces) vel emptor praeter valorem usualem individualem vel subjectivum, quem (emens) fortasse minimi taxat, haud negligat considerare (si vult, ut pacto conveniant): oportere (merces) offerenti recompensari laborem, salaria, mercedes etc.

Propterea Antoninus judicat esse condemnandum, si offerens (merces) i. e. venditor solus constituat pretium „ad beneplacitum suum" et exposcit, ut „pensata mutua necessitate" („expetens" et „offerens") uterque (emptor et venditor) debitam condicionis alterius rationem habeant.

§ 14. De rationibus, quae extra ordinem vim quandam habent in pretio taxando.

„De ementibus", inquit Antoninus (II. 1. 23. § 16), „tempore messium blada et tempore vindemiarum vinum et „alios fructus, ut postea carius vendant in futurum, dicit „canon.[1]) hoc esse turpe lucrum, cum fit ob cupiditatem et „non ob necessitatem."

„Coemptio fit aut propter bonum commune aut propter „bonum privatum. Si propter bonum commune, sicut „Josef emit frumentum tempore abundantiae, ut possit „providere patriae tempore famis (Genes. 41) — hoc „meritorium est." „Si autem propter privatum com„modum, tunc tripliciter, quia aut hoc facit ex „providentia, timens, ne postea habeat in futurum „emere, si indiguerit, cum carius erit, et tamen postea, „cum non indigeat, sicut credebat, vendidit carius quam „emerit, sed non carius quam vendatur in foro; et hoc „licitum. (Idem Raymundus[2]), Wilhelmus[3]), Innocentius[4]).

„Et multo fortius, si hoc facit ex pietate, ut sc. ex lucro „venditionis inde provideat pauperibus, dum tamen moderate „hoc faciat, ita ut per caristiam communitas non laedatur."

Excluditur ergo in coemendis mercibus intentio et evidentior probabilitas causandi per coemptionem „caristiam" et laedendi bonum commune.

„Secundo potest hoc fieri secundum justitiam commu„tativam, ut faciunt mercatores, et licite possunt pro opera „sua recipere lucrum, ut sustententur, dummodo non inten„dant, caristiam inducere."

„Idemdicit Wilhelmus et addit: maxime: — si aliud genus „negociationis non novit, nec aliter habet, unde vivat vel „sustentetur cum familia sua."

Tertio modo hoc fieri, potest ex „avaritia, ita, quod unus „tantum emit de hujusmodi et congregat, quod postea com„pelluntur homines emere ab eo ad beneplacitum suum, et „ideo vendit care, ut vult, et isti enormiter peccant contra „proximum et communitatem, et tales, quod victualia, ut „alias, aut etiam monetas emunt, ut caristiam inducant."

Alteram causam, quae extra ordinem et artificiose nonnihil iuvare potest ad pretium statuendum, affert Antoninus l. c. p. II tit. 1 c. 16 § 2: „Negociatio redditur illicita ratione „mali consortii, puta, si mercatores inter se conveniant et „pactum faciant, quod omnes vendant tali pretio „tales merces, vel unus solus vendat et non alii certam „rerum speciem. Tales, vi pactum faciant, quod vendant „certo pretio competenti et non plus, sed etiam minus, sunt „liberi, hoc intendentes se conservare indemnes, cum „justum pretium ponunt mercibus secundum valorem illius „temporis".

Antoninus ergo consortia et privatorum monopolia[5]) putat licita, dummodo ad conservandum justum pretium fiant eo sensu, ut venditores indemnes maneant.

„Sed si pactum faciunt mercatores insimul, quod certo „pretio vendant merces suas et non minus" — „lucra immo„derate quaerentes" — „pessime faciunt et dicuntur hi monopolitae.[6])

Quae causae rectorem civitatis movere possint ad introducenda monopolia, ab Antonino non exponitur, quamquam dubitari non potest, quin etiam civitas cuidem generi artium

mechanicarum ad ejus tutelam et conservandam integritatem et ad servandum competens pretium possit licite monopolii praerogativam tribuere, vel quin ipsa civitas possit illam artem ut monopolium exercere. Exposcit ergo Antoninus expresse plenam bonam fidem et sicut Hostiensis[6]) suadet, ut indicat episcopus culmen liciti lucri, ita Antoninus quoque consiliatur, ut pretium taxetur[7]) et figatur „per episcopum", „quod melius fieret, — ut provideatur per rectores civitatis sc. quod taxato pretio ab eis venderentur victualia et alia, quae sunt ad usum necessaria". (Cf. de mercatoribus victualium p. III tit. 8 c. 3 § 4.)

Recte igitur Antoninus esse civitatis operationes civium tueri et supplere censuit necnon res ad vivendum necessarias, ut panem etc. omnibus pravis artificiis et „malis consortiis" subtrahendas esse; ideoque ab ipso quae axiomatis instar perdiu in rebus oeconomicis viguit formula francogallica „laisser faire" prorsus respuitur.

---

1) can. Quicunque tempore. 9. c. XIV. qu. 4.

2) De S. Raymundi de Pennaforte, Decretalium Gregorii IX redactoris, Summa casuistica ab Antonino utiliter adhibita, cf. Krawutzky, Einleitung in das Studium der kath. Moraltheologie. 2. A. Breslau 1898, p. 45 sq.

3) Agitur de Guilielmo Redonensi, de cuius Apparatu ad Summam Raymundi cfr. Schulte, Geschichte der Quellen etc. II. 413 sq.

4) De Innocentio Papa IV (Sinibaldo Flisco, canonistarum domino) cui debetur Apparatus in V libros decretalium, cf. Eggs, Pontificium Doctum, Colon. 1718, p. 412 sq.

5) De monopolio cf. Roscher, l. c. I § 112.

6) De Hostiensi vide supra annot. 1 ad § 7.

7) De taxa cf. Roscher l. c. I § 114.

§ 15. De fraudulentia in pretio statuendo.

Oportet pretium justum regulariter respondere virtuositati, quam res habet (cf. supra § 4).

Fraudulentia autem fit, in quantum venditor emptorem in errorem inducit de virtuositate rei, imprimis de rei „quidditate", de ejus „quantitate" vel „qualitate". „Primus," „ait Antoninus II. 1. 17. § 3, „defectus fraudis in quidditate „seu specie et substantia, ut si vendatur aurichalcum pro „auro, secundo in quantitate, in pondere, numero et

„mensura, tertio in qualitate rerum fit fraus, cum sc. „vendunt carnes infectas pro sanis, aromata antiquata et sic „virtute debilitata pro recentibus.“

Etsi venditori licet veras proprietates rei cujusdam venalis et in actis diurnis publicare, ut hoc modo quoad valorem „complacibilitas“ rei augeatur, mendacia tamen, perjuria, duplicitates hisce in proclamationibus necnon verba adulatoria in mercibus offerendis prorsus sunt reprehendenda. Etenim de veritate tanquam virtute sociali cum S. Antonino (IV. 5. 15. § 3) est dicendum:

„Non possent homines convivere, nisi sub invicem crede- „rent tamquam veritatem manifestantibus. Et propter hoc „fallax exosus et imfamis habetur, quasi destructivus „humanae societatis, et verax ut conservativus ejus- „dem societatis.“

Curriculum vitae.

Die 20 mensis Februarii a. 1867 natus ego, Carolus Ilgner, anno 1886 mense Majo Civibus Universitatis literariae Viadrinae Vratislaviensis apud Facultatem Theologicam Catholicam adscriptus sum. Professores academici Commer, Friedlieb, Koenig, Krawutzcky, Laemmer, Probst, Scholz me theologia, — Brie, Dahn, Stengel, Wlassak jure, Miaskowsky rebus oeconomo-politicis instruxerunt.

Mense Octobri a. 1889 die 21 in seminarium clericale Vratislaviense receptus et die 23 Jun. a. 1890 ordine presbyteratus initiatus sum. Capellanus Muensterbergae factus initio a. 1892 ad ecclesiam S. Michaelis Vratislaviensem vocatus ibi usque ad mensem Septembrem a. 1894 munere fungens ad gymnasium Gliwicense ad erudiendos discipulos delectus, examine „pro facultate docendi" absoluto munere Magistri Superioris fungens theologiam et linguam Hebraicam docebam usque dum die 28. Junii a. 1897 parochus Leobergensis sum investitus.

Summas gratias ago omnibus praeceptoribus meis dilectissimis optime de me meritis, imprimis Reverendo Professori P. O. celebrato Ernesto Commer cujus opera et consilio multum profeci, deinde Magistro et Praeceptori celebrato et praedilecto: Reverendissimo atque illustrissimo Domino Praelato Infula ornato Hugoni Laemmer Prof. P. O. etc., cujus paternae benevolentiae et caritatis semper cum gaudio et admiratione et summa quae par est pietate memor ero.